COMPENDIUM
Vitæ, Gestorum & Miraculorum
Venerabilis Servi DEI
FIDELIS
à SIGMARINGA,
Sacerdotis, Professi Ordinis Seraphici
P. S. FRANCISCI Capuccinorum,
Primi ex Missionariis Sacræ Congregationis de Propaganda Fide ab Hæreticis in odium Fidei Catholicæ
INTEREMPTI.
&
à SANCTISSIMO DOMINO
BENEDICTO XIII.
Supremo Ecclesiæ Ecclesiarum Pastore,
Anno Dom. 1729. Die 24. Mensis Martij.
BEATORUM FASTIS
ANNUMERATI.
Per PP. Capuccinos Conventus Cracoviensis,
Cum Licentia Superiorum
LUCI PUBLICÆ
EDITUM.

CRACOVIÆ Typis UNIVERSITATIS.

Novit DEUS etiam de ipsis diaboli persecutionibus coronas suscitare Martyribus, utens benè omni genere malorum ad utilitatem bonorum.

S. Augustinus lib. 4 contra Iulia: cap. 7.

UNI DEO, & TRINO.

nec non

Sacratissimo Ipsius Templo,

Beatissimæ & Immaculatæ

VIRGINI MARIÆ.

C*Um ab æterno Supremæ Tuæ Majestati debeantur omnia quia Tu Dominus es universorum, & nullius Indigens nullum per donationem nostrã inexhausto Divitiarum Tuarum Abysso accedere potest augumẽtũ Quidquid in terrestri hac Orbis mole non vulgari humanos oculos admiratione perstringit, exiguus Immensæ Tuæ Lucis Radius jure censetur. Quidquid boni in nos derivat, Liberalissimæ Tuæ Beneficentiæ totum adscribere cogimur, cùm nihil nostri habeamus, quod Tuũ reverà dici non possit. Luculentissimã Gratiarum Tuarum partem in nostri*

FIDELIS exaltatione cognoscimus, quem sicuti ad Tui Gloriam Gentibus ostendendam eligere voluisti, ita devotam Tibi Religionem nostram Ejus præclaris meritis exornâsti. Donum ergò à Te acceptum in grati animi testimonium Tibi nunc reddimus, & quidquid de Illo palàm exponere in hoc libello studemus, totum sempiternæ Tuæ Laudi volumus consecratum.

Tu verò Divinarum Gratiarum Opulentissima Mater, & Thesauraria, votorum nostrorum Benigno Ore excipe devotionem, & æviternæ tenuissimum hoc obligationis munusculum offer Propitia TRINITATI, ut & Illi per Manus Tuas oblatum gratius accedat, & ut in Benefactorum nostrorum perpetuas Benedictiones fructificet; quod iteratis precibus ardentissimè flagitamus.

VITA & MARTYRIUM BEATI FIDELIS à SIGMARINGA, Ordinis Seraphici Patris Sancti FRANCISCI Capuccinorum Sacerdotis Professi.

Primi ex Missionarijs Sacræ Congregationis de Propaganda Fide Martyris.

PRimis Ecclesiæ sæculis, quæ plurimorum conspicua Martyrum laureis floruerunt, nostra non habent tempora, quid invideant, dùm pares illis, nè dicam majores, meritis, & præstantiâ, nostris Heroës oculis exhibent,

bent, & publicâ dignos veneratione in lucem edunt. Moguntinæ Provinciæ Urbs Sigmaringa in Constantiensi Diœcesi, nostri FIDELIS Patria, unum nobis ex his proponit. Præclarus hic CHRISTI Servus à Parentibus Catholicis in illa est procreatus, à quorum pia educatione egregiam morum institutionem, formamq; sibi didicit comparare. Florentes adolescentiæ suæ annos, ut plurimùm genio, & lubricitati impendi solitos, modestiæ, cæterarumq; virtutum fræno coërcens, litterarijs studijs consecravit. Quantùm in his profecerit, & quàm uberem ab illis fructum collegerit, Philosophiæ & Juris Utriusq; Doctoralis Laurea, quibus juvenis adhuc est insignitus, palàm fecerunt. Ad Ecclesiasticum deinde statum anhelans

helans, ſpiritualibus exercitijs ſedulam navando operam, ad talem perfectionis gradum pervenit, ut Charactere Sacerdotali decorari citò meruerit. Quamvis multiplici ſcientiarum genere animum exornando, à devotionis ſpiritu diſtrahere videretur, illæ tamen mirabili quodam nexu ſimul conjunctæ, ut lumen additum lumini, in ipſo conſpiciebantur. Lucidas haſce dotes, aſſiduis laboribus conquiſitas, metuens, nè mundanâ obruerentur caligine, ut tutiùs conſervaret, Die Feſto Seraphici Patris noſtri Sancti FRANCISCI, Capuccinorum Religioſum ſuſcipiens hábitum, inter Seraphicas umbras maluit occultare. Maxima perfectionis ſpecimina edendo, totum Probationis annum peregit, quo elapſo ad Profeſſionem admiſ-

admissus est. Brevi temporis intervallo virtutum omnium copiâ refulgens, ut eas alijs quoq; communicaret, ad regimen Fratrum assumptus, cunctas perfecti Superioris partes expressit. Discretâ imprimis ità excelluit charitate, ut subditis sibi Religiosis ministraret potiùs, quàm imperaret. Fratres infirmorum curam habentes quotidiè præveniebat, nè minima quævis ministeria charitatis omitteret. Insignis Humilitatis amator infra omnes se demittebat, & ad animas in Cælum dirigendas omninò ineptum se prædicabat. Paupertatis amore flagrans, non solùm à cibis superfluis, & mendicorum statui injurijs penitùs abhorrebat, sed tribus quoq; in hebdomada diebus solo pulmento contentus erat. Quadragesimali

verò

verò tempore etiam à pulmento alijsq; obſonijs abſtinens, auſtero cilicio corpus domabat, quotidianisq; flagellationibus, quæ copioſum eliciebant ſangvinem, in ſervitutem ſpiritûs redigebat. Apoſtolicæ Prædicationis dono à Supremo bonorũ Largitore ſpecialiter inſignitus, antequàm ad Verbum DEI, Evangelicasq; veritates annunciandum, ſuggeſtum aſcenderet, horæ unius ferventiſſimam præmittere ſolebat Orationem, aſperam flagellationem adijciens, ut DEUS Auditorum corda illuminare, & movere efficaciter dignaretur. Cæleſti dives eloquio, fulmineâq; intonans voce vitia increpabat, & mellifluo diducens verba ſermone, virtutes inſinuabat, illis pœnam commînitans, his verò gloriam, appromittens. Non inani verbo-

rum

rum apparatu, nec Rhetoricis ornatum fucis, ſed cum brevitate dicendi, juxta Seraphici Patris Sancti FRANCISCI mentem, præſcriptumq́;, hoc Sacrum Munus implebat. Concione peractâ, iterùm preces ad DEUM fundebat, ut ſemine Divini Verbi, quod Ille ore plantaverat, lachrymis rigaverat, Gratiâ influente incrementa daret. Incredibile dictu eſt, quàm felicem FIDELIS vota fuerint effectum ſortita, & quàm ubere tot labores meſſe fuerint coronati; nam innumeræ Animarum converſiones, ad quas ille continuò anhelabat, ſubſequebantur; & quæ anteà citato curſu perditionis æternæ viam inſiſtebant, Illo Duce ejusq́; ferventi zelo impellente directam Cælorum ſemitam agnoſcendo, expedito pede calcabant. Sicut ardentiſſimo in proximorum

ſalutem amore, ita intenſiſſimo ferebatur in DEUM, cujus non indubia fuêre ſigna, preces continuæ ipſius, quas ex intimîs cordîs penetralibus depromptas dirigebat ad Cælum. Noctù modicum ſomni corpori indulgens, Matutinis Laudîbus mediâ nocte cum Religioſis in Choro perſolutis, vigil usq; in diem Orationi totus vacabat. Æſtuantes Divini Amoris flammas aſſiduum pro Chriſto moriendi deſiderium augebat, & hæc unica erat meta, ad quam quotidianæ illius preces tēdebāt; hæc unica erat gratia, quam votis non intermiſſis à Supremo Numine poſtulabat, ut pro Fide Catholica ſtabilienda vitam cum ſangvine fundere quamprimùm illi daretur. Amantiſſima illa Canticorum Sponſa per vicos & plateas noctù diùq; indefeſſa dilectum Sponſum

ſum quærebat; FIDELIS verò per Vicos, Oppida, & Caſtella hæreſi infecta, Catholica Cæleſti impulſus ardore diſſeminans Dogmata, gloriosè pro illis mori, eaq; ſuo ſangvine obſignare intrepidus inquirebat. Tali animoſus fiduciâ apertè in campum deſcendit, & Romanâ cohoneſtatus Authoritate plures circumeundo Regiones pervenit in Rhætiam. Vix bellum incæpit, ecce jam plures operâ ejus adjuti, hæreticam abjurantes proterviam, victas Eccleſiæ manus dedêre, inter quos etiam pleriq; Nobilium, quorum converſione Fides Catholica, quam à Rhætia variæ abegerant ſectæ florere cæpit, & propagatâ indies mirum in modum Religione, Hæreſis aboleri. Fortiter pugnando cum hoſtibus, etiamſi plures numera-

meraret victorias, prædæ tamen & morti ab Hereticæ pravitatis sectatoribus ex tunc destinabatur. Non deerant inter illos nonnulli, qui FIDELIS libenti animo sermones exciperent, comitate & humanitate illi9 allecti, qui notum sibi firmumq; habuit semper, feroces animos efficaciùs urbanitate, quàm minarū rigore îllaqueari. Quapropter illorum captâ benevolentiâ, Catholicā Fidem Apostolicam Romanam animis eorum mirâ dexteritate insinuabat. Ut omnes Apostolici Viri partes expleret, svavi jucunditate ægros invisens, alios solabatur, alios ad patientiâm hortabatur, & omnibus æternæ salutis meritum pretîumq; commemorando, eâ quâ poterat diligentiâ recreabat. In carcere detentos paterno amore frequenter adibat, quibus

ut levamen aliquod inter pœnas afferret, ſcelerum ſvadebat expiationem, eorum Confeſſiones excipiebat, & reconciliatis DEO illorum animabus, eleemoſynas ijs procurabat, ciboſq; ſibi pro refectione ſuppeditatos diſtribuebat, ſicq́, carnem inediâ macerans, aliorum afflicto, & in ærumnis poſito corpori ſubveniebat. Rectè de FIDELI poterat illud Apoſtoli enunciari, quòd: *omnibus omnia factus eſſet, ut omnes lucrifaceret Chriſto.*

Prophetico futura prævidere ſpiritu, & huic vel illi proſpera, ſeu adverſa nunciare tanquàm ex Decretalibus Cælorum Libris deprompta, non ultima FIDELIS gloria prædicatur. Inter cæteras ejus, quæ ſpeciali notandæ veniunt memoriâ, prædictiones, hæc

una

una censeri potest. Post diuturnas armorum vices & pugnas Leopoldo Duce Austriacus Miles totam suæ ditioni Rhætiam subjecerat: Divino afflatus æstu FIDELIS, congr gatis in platea Rhætis, sic eos est allocutus: Defectionis vestræ ab Austriaca Domo tempus adventat, sed vix impositum vobis jugum à vestris cervicibus excutietis, numerosus Austriacus Exercitus in vos irruet, tantumq; nefas, omnia igne ferroq; vastando, rigidissimè ulciscetur. Eventus veridicis Servi DEI verbis fidem adjecît Collectis undequàq; Militibus, & copioso armorum robore instructi Rhæti in Dominum irruerunt, & cæso Leopoldi Ducis Exercitu, munita quæq; præsidia occupârunt. Hanc eādem defectionem cuidam sibi

ſibi ex Ducibus familiari prædicens, ſecretò illum monuit, omnes ejus Milites ſuſpendio à Sævis Indigenis rebellantibus miſerè perituros.

Laborum ſuorum terminum, jam propinqvum divinitùs præconizans FIDELIS, Religioſis ſuis valedicens, imminentem ſibi necem, quam ab Hæreticis ſubiturus erat, prædicit, nunquàm ſe à Rhætia rediturum procertò affirmans. Vigeſimâ ergò quartâ die Menſis Aprilis in Diem Dominicam incidente, Sacramentali ſummo mane Confeſſione præmiſſâ, & incredibili ſuprà morem devotione, Miſſæ Sacrificio celebrato, ad populum Pagi Gruſch ſermonem habuit, in quo ad Confeſſiones excipiendas relicto ſocio, in aliud vicinum Oppidum vulgò Sævis nun-

cu-

cupatum ſe tranſtulit. Extremum hìc Apoſtolici zeli ardorem demonſtraturus, congregato populo, Concionatoriam aſcendens Cathedram, ut de more Evangelium nunciaret, repentinus ecce clamorum ſtrepitus extra Eccleſiam exoritur, his verbis compoſitus: *ad arma ad arma*; quem fragor ingens armorum eſt ſubſecutus. Invaleſcente poſtmodùm ſeditione, crudeles illi ſiccarij ut inermem DEI Servum aggrederentur, & trucidarent, armatâ manu in Eccleſiam confluxêre. Exacuerunt priùs impij lingvas ſuas, & enormibus Virum DEI contumelijs, opprobrioſisq; convitijs affecerunt, quibus patienter auditis & tolleratis, exivit ille de Templo. Hìc rabiem ſuam longo jam à tempore æſtuantem nefarij Carni-

 ſices

ſice continere ampliùs non valentes, vario telorum genere innocuum FIDELIS corpus transfodiunt, qui conſtantiſſimo ore Domino benedicens, & gratias agens, quòd optatâ ſibi morte vitam claudere conceſſiſſet, tanti furoris victimâ extinctus cecidit, & Catholicam Fidem, cujus in odium hæc paſſus fuerat, ſuo glorioſo ſangvine obſignavit, Anno milleſimo, ſexcenteſimo, vigeſimo ſecundo, crudeliter trucidatus. Non ſicuti Victores, quî captâ prædâ dividunt ſpolia, ſed proprio furore turgidi, & ſacro perfuſi ſangvine ab acie receſſerunt. Sacris neglectis Exuvijs, totâ die, ac ſubſequenti nocte purpureo rubens amictu FIDELIS Cadaver in eodem cædis loco cuiq; illi obvium reliquerunt, in hoc quoq; præconceptum
in

in DEI Servum odium satis superq; testantes. Postridiè defossâ humo pretiosus hic thesaurus ibidem conditus fuit; qui, ne in profano diutiùs loco jaceret, non multò pòst cujusdam Catholici operâ exhumatus, iuxrà Sacras Ædes tumulo demandatur. Fortè, nonnulli Duces Austriaci, qui vincti apud barbaros in captivitate detinebantnr, per illos ad occisionis locum, & propè FIDELIS Corpus deducti, tanti sceleris relationem audierunt, dùm veluti triumphantes in hæc ipsi verba eruperunt: Seductor iste novitatis afflatus spiritu antiquam Religionem nostram à nobis extirpare, eradicare, & penitùs tollere omni, quo poterat studio, satagebat, & totîs viribus nitebatur, solam Ecclesiæ Romanæ Fidem veram es-

ſe, cæteris poſtpoſitis, aſſerebat; quapropter nè diutiùs injuriosè noſtris auribus alloquentem ſuſtineremus, noſtris manibus interfecimus: condignas ſcelere pœnas ſangvine proprio dedit. At feliciter quidem, & gloriosè nimis cum ſuperbis jactatoribus actum fuiſſet, ſi Divina à tergo impiæ ſectæ zelatores non corripuiſſet Vindicta, quæ malos ſemper malè perdit. Nondùm elapſo ab execrabili cæde anno, novo conſcripto Exercitu Domus Auſtriaca, iterùm in rebellem Rhætiam irrupit, ac primo facto impetu nequîſſimos vicit profligavitq; ſiccarios, cunctîs in ſummo àëre Capuccinum Auſtriaci Exercitûs Anteſignanum ſpectantibus. Improviſo hoc portento territi omnes, quotquot necis Servi DEI FIDELIS conſcij

fue-

fuerant: eos metus invaſit ingens; præ cujus invaſione unanimi voce exclamârunt: *Ecce Virum quem trucidavimus, ille Partibus Hoſtiũ noſtrorum aſsiſtit, ut nos profligent & perdant.* Cæleſtem in ſe ipſos apertè noſcentes iram, ita animis Rhæti exciderunt, ut non arduum fuerit Auſtriacis & eorum reſiſtentiam ſuperare, & ad priſtinam obedientiæ ſervitutem redigere, incendio, ſangvine, ac alijs pluribus inflictis pœnis perpetratum ab eis nefas expiando. Subjectâ tandem Rhætiâ, & rebus ad univerſam tranquillitatem compoſitis, in Oppidum Majenfeld FIDELIS Reliquiæ translatæ ſunt, Capite in Urbe Feldehirck eâ quâ par eſt veneratione recondito. Milites tàm conſpicuâ læti victoriâ, & Cæleſtis memores Patrocinij, quod in

FIDELE experti ſunt, ſuis non, defuêre obligationibus, Anteſignanum ſuum ſummis honoribus, & non exiguâ pompâ condecorando. Civitas ipſa quoq; tantæ pietatis ſocia, tota ferè extra muros effuſa FIDELIS Exuvias veneratur. Tàm præclara ſui Civis merita Cælum immediatè illuſtrare, cæpit miraculis, quæ hìc meliori, quo poſſumus ordine exponemus.

Arcis Maijenfeldanæ incendium, quod humanâ extingvi arte, non potuit, invocatâ FIDELIS Ope, Cujus ibi Corpus aſſervabatur, illicò extinctum eſt. Venerabilis & Religioſiſſima Soror Cæcilia Muſingerin in Monaſterio bonæ Famæ Monialium Lilienfeldij Ordinis Ciſtercienſis Profeſſa, tàm crudeli vexabatur infirmitate, ut quatuordecim dierum ſpatio

tio maximos dolores in mamilla dextera pateretur. Malum quotidiè augebatur, & quàmvis secretò occultare per illud tempus studuisset, ingenti spirandi difficultate correpta, pudorem vincente necessitate, Priorissæ statum suum significare cóácta fuit. Hæc imminentis periculi acerbitate commota, Religiosæ Sororis detegens pectus, ad gangrænosam nigredinem totam mamillæ substantiam citato cursu vergere observat, quam nonnisi Chirurgicis instrumentis resecatam iri putabat. Afflictæ solatium aliquod spirituale afferre cupiéns Moniali, particulam Habitûs Beati FIDELIS Martyris illi impertitur hoc monito, ut ad mamillam apponeret, & Beati ipsius Intercessioni apud DEUM ardentibus votis se commendaret.

Consilijs benignæ Matris obtemperans Cæcilia, vix dolenti dictas Reliquias mamillæ applicuit, sævi recedere incipiunt dolores, & placidissimo intereà somno corripitur. Brevis hic quidem fuit, sed salutaris, nam illa expergefacta, inter stuporem & gaudium pristinæ & integerrimæ se sanitati restitutam videt & admiratur.

Illustris quædam Matrona, Feldkirchij, nomine Euphrosina, Papusin filium in lucem dedit, cui in Sacro Baptismatis Fonte Pauli Francisci nomen inditum fuit. Præterlapso non longo tempore, tenellus Infans oculi periculoso morbo laborat, & juxta Medici opinionem, propter immania symptomata, quæ ille in tàm delicato membro observabat, in uisûs privationem irreparabiliter proxi-

mam

mam jàm incidere judicatus fuit. In tanto Prolis periculo, humanisq; auxilijs mæstissima Mater destituta, Cælestia quàm primùm, explorare decrevit. Quarè accepto Puero Feldkirchium ad Capuccinorum citissimè properat Ecclesiam, & Beato FIDELI illum, precibus offerendo, enixè commendat. In votorum suorum, pignus duos affert cereos, additq; se toto suæ vitæ tempore diem, sanctificaturam, quo Beatus FIDELIS Martyrium passus fuerat, & Sacramentali Confessione & Communione consecraturam, si meliùs cum Puero Ejus Intercessione actum foret. Concepto voto, Infantis oculum perfectè sanatum respicit, qui cùm vocis usu acceptam explicare gratiam non posset, converso in Matrem jàm,

sano

ſano oculo, illam attentè in tanti Miraculi teſtimonium intuetur.

Gaſpar Styger quinq; annorum ſpacio lectulo ſuo affixus, jacuit acutiſſimis dorſi doloribus cruciatus adeò, ut ex illo ſurgere non valeret. Dùm omnia incaſſùm tentat, Feldkirchium toto virium ſuarum conatu ſe conferre, tandem decernit. Arduum, quàmvis non valdè diſtans iter aggredi morbus prohibet, ſpes tamen aliqua affulgens ſanitatem recuperandi minores illi reddit dolores, collectisq; tandem paululùm viribus itineri ſe accingit. Tribus horis inter maximos dolorum aculeos medium vix milliare confecit. Ad Capuccinorum tandem, veniens Eccleſiam, Beati FIDELIS Opem toto cordis ardore imploraturus, permitti ſibi poſtulat

corpus tangere Gladio, quo Beatus Martyr trans'ossus fuerat. Sacrati attactu Gladii confortatus, quadra tis horæ spatio domum sine doloribus redit, tàm expeditam in ambulando facilitatem miratus. Domesticis, cæterisq; Pagi Incolis mirabile hoc portentum, eâ quâ potuit loquendi formâ & hilaritate explicabat, quod ut certo confirmaret experimento, rusticales eâdem die labores sanus exercuit, ut ante infirmitatem solebat.

Præter hæc quæ in Beatificationis Decreto de Beato FIDELE Miracula enunciantur, alia varij generis hìc apponere opportunum censuimus, ad majus ergà Beatum hunc Martyrem devotionis incitamentum.

Michàel Hercog Prægetcewal-

densis habuit Filium, qui loquendi usum amiserat; cui ambulandi standiq; impotentia jungebatur. Hujus frontem Beati FIDELIS Capite dum attigerunt, immediatè loquelam recuperavit, sanusq; domum reversus est.

Joannes Franciscus Cigler Filium loquendi usu carentem habuit, emisso per Patrem voto peregrinationis ad Beatum FIDELEM, illicò eum acquisivit.

Quædam Fæmina Ehinsingensis nomine Catharina nè verbum quidem proferre poterat; hujus Parentes ad Beatum FIDELEM eam cùm ducunt, parùm jam loqui incipit; & dùm iteratò ducunt ad Ipsum, plùs meliùsq; loquitur; dùm autem tertia vice & visitatione Beati FIDELIS adeunt Corpus, perfectam Filia recuperavit loquelam.

Si-

Simile experiuntur beneficium amiſſam recuperando loquelam, Sacras Beati FIDELIS Reliquias viſitando Catharina Bechin, Chriſtina Caſchuberin, & Suſanna Reimoldin.

Non ſolùm naturali impedimento muti ſanantur Beati FIDELIS Interceſſione, ſed illi quoq;, qui diabolicâ fraude loqui non poterant, ut quædam Fæmina, quæ ex diabolica Magia nè verbum quidem formare potuit, ad Crucis attactum, quâ Beatus FIDELIS adhuc vivens utebatur, immediatè libera evadit.

Nicolàûs Valſer, qui Comitiſſæ Fuggerin inſerviebat, ſurdam habebat Filiam, quæ dùm ante Beati FIDELIS Imaginem Orationem perageret, & voto quodam in Ipſius Honorem ſe obſtringeret, immediatè auditum obtinuit.

Agnes, & Dorothea Freierin, Feldkirchenſes auditu penitùs privatæ, quâdam devotione & oratione ad Beatum FIDELEM emiſsâ, auditum recuperârunt amiſſum.

Venerabili Huic Servo DEI varijs promiſſis ſe obſtringentes, acceptum quóq; referunt auditum Agatha Lampartin Ranchvelienſis, Agatha Wanaſchobin Gambenſis, & Chriſtina Schochin Segavenſis.

Anna Marina Lachmanin Roſchachenſis aurium doloribus cruciabatur, ſtatim ac per quoddam votum Beati FIDELIS Interceſſioni ſe obligat, liberatur. Quia verò emiſſum votum prorogat, & non implet, priori tentatur infirmitate, quàmprimùm voti obligationem exſolvit, ſecundâ quoq; vice exauditur.

Prænobilis Domina Comitiſſa Emblenſis Æmilia nomine, auditûs facultate privata, Auxilium à Beato FIDELE in ſua calamitate quæſivit, repentè recuperavit. Hujus memor beneficij, in perpetuam gratiarum actionem duas argenteas aures pro anathemate in Beati FIDELIS Sacello appendi curavit.

Eliſabeth Duellin viſu deſtituta, Beati FIDELIS Caput ſuo capiti applicando, ſine intermiſſione eum recuperat.

Clara Hamerlerin Conſtantienſis in uno oculorum penitùs cæcutiebat, ad Beati FIDELIS Reliquias ſe contulit, ubi Pater Apollinaris, Frater Germanus Ipſius Beati, Digito Sancti Martyris oculum prædictæ Fæminæ tangit, & illicò recipit viſum.

Anna Senin Ranchvelienſis annorum ſeptem Puella, per incuriam puerilemq́; levitatem cultro ſibi oculum vulneravit. Mæſta inopinato Mater ingemens caſui, ad Beati FIDELIS Aram, Filiam deducit, ubi per Sacrarum Reliquiarum contactum, oculus perfectæ redditur ſanitati.

Martha Zucherin Ejusdem Beati FIDELIS Reliquias viſitando, viſum amiſſum recuperat. Sorori Catharinæ Vaberin, Moniali Ordinis Sancti Dominici devotè oranti in Honorem Beati Martyris, viſus reſtituitur.

Non abſimili Beneficio in viſûs privatione, & oculorum doloribus perfruuntur Chriſtina Mathin Laterenſis, Anna Suthin, Joannes Melch Lodaſcenſis.

Gertrudes Holleferin Voulfur-

tenſis

tensis in Constantiensi Episcopatu novem annorum cursu inexplicabiles capitis pertulit cruciatus, ut verò precibus & speciali ad Beatum FIDELEM invocatione se munit, Patrocinium Ipsius experta est, & in momento sanata.

Ursula Brunerin Gaisingensis, & Abbatissa ex Monasterio Monialium Sehenensi, ab eisdem doloribus per appositionem Capitis Beati Martyris liberantur.

Alia Fæmina alligatâ fronti Particulâ Habitûs Beati FIDELIS, & quàm plurimi alij ab ingentibus capitis doloribus sanantur.

Felix Ganser Ludeschensis præter dolores capitis dementiâ correptus, cujus causâ nec stare, nec ambulare ipsi dabatur Beatum FIDELEM in Patronum

ſibi eligendo, ab utraq; indiſpoſitione ſanus evadit.

Porrectis ad Beatum FIDELEM votis Eva Lorchin, Anna Ardecherin, Anna Caiſerin, Catharina Hallerin, & Chriſtina Reitoin, à dementiæ furijs convaleſcunt.

Reverendus Pater Laurentius Fores Societatis JESU in peregrinatione Feldkirchium immani febre corripitur; parum aquæ ex vitro, quo Beatus FIDELIS in Vita ſua utebatur, haurit, febre illicò recedente, ſanus è lecto ſurgit.

Veſpaſianus Coller Hungaricâ laborans infirmitate, morti jam proximus, Sacro munitus erat Viatico, Mater illius pectori Particulam Beati FIDELIS Habitûs vix admovit, en incipit æger paulùm reſpirare, & immediatè fit ſanus.

Diverſo febrium genere ægrotantes

tantes Anna Behlerin, Anna Yestlerin, Christophorus Mauritc Feldkirchensis, Reliquias Beati FIDELIS applicando convaluerunt.

Annam Egede in Prægetcevaldensem, post diuturnam infirmitatem, talis dementiæ furor invasit, ut sylvestris veluti bellua per impervios nemorum anfractus tractusq; errabunda vagaretur; ad fronti appositionem de Beati Martyrîs Habitûs Particula, ad naturalem sanæ mentis statum redijt.

Per dictarum Reliquiarum applicationem, à febribus & dementia Sebastianus Gap Feldkirchensis, Christophorus Schmid Segaucensis, & Joannes Vueltin Sondgaciensis liberi fiunt.

Catharina Dominerin quatuor hebdomadum spatio crudeli dentium dolore vexata, ad osculum

Imaginis Beati FIDELIS protinùs liberatur.

Soror Therefia Lucia Monialis Ordinis Reformatorum Rofchachenfis ob acerbos dentium dolores nullam diù quietem capiebat, Reliquijs Beati FIDELIS tetigit eosdem cùm dentes, illicò fuit fanata.

Anna Schmidin Sigavenfis, non intermiffo decem annorum curfu, ijsdem dentium doloribus divexata, Caput Beati FIDELIS ofculatur, & immunis ab illis fit.

Elifabeth Slechenfteinin Embicernenfis ambas movere manus non poterat, Beati FIDELIS patrocinium implorat, & ftatim in utrisq; naturalem motum recepit. Vt recuperatam falutem tutiùs conferváret, Medicorum adhibet confilia, & præfcriptiones, à qui-

bus

bus iterùm infirmatur. Hæc illa animadvertens, omnia proiecit remedia, & ad primum Liberatorem ſuum Beatum FIDELEM iterùm confugit, à Quo primæ redditur ſanitati.

Talibus detentæ infirmitatibus Anna Bervichin, Magdalena Embſerin, Soror Agnes Burgin Monialis in Monaſterio Roſchachenſi, aliæq; viginti duæ Perſonæ Beato FIDELE Intercedente integram recuperant ſanitatem.

Maria Anna Ehanderetin Freiburgenſis partu Filium enixa eſt, à quo in talem virium incidit proſtrationem, ut ubera Infanti ſuppeditare non poſſet; in Beati FIDELIS Honorem quotidiè ter Pater & Ave recitare app omittit: poſt promiſſionem vires recipit competentes, & Materno exequendo muneri ſufficientes.

Non intrà morborum cancellos Beati Fidelis patrocinium ſe continet, ſed usq; ad mortis imperium ſe extendit.

Sebaſtiani Valſers uxor mortuum peperit Filium, qui Beati FIDELIS Interceſſione revocatur ad vitam, & in Baptiſmate Infans FIDELIS nomine inſignitur.

Roſina Licheregin Maijenfeldenſis, poſt longos partûs dolores, Prolem in lucem dedit, cui nullum vitale indicium adſcribi poterat, adeò; ut ab omnibus pro cadavere haberetur. Humanis fruſtrà auxilijs excitatur Puerulus, ſed vix Beati FIDELIS Interceſſioni dicatur, omnium ſtupore illicò reviviſcit, & in Sacro Baptiſmatis Fonte in Beneficij memoriam FIDELIS donatur nomine.

Sex quoq; Infantes mortui Be-

ato FIDELE Intercedente pariter reviviſcunt, & Illius interceſſionis vim Meritaq́; apud Supremum Vitæ & Mortis Dominum conteſtantur.

Mirabilis quàm ſit DEUS in Sanctis ſuis, Uni Ipſi ſit Laus, Honor, & Gloria ſempiterna; & Beato Illius Servo FIDELI ad majoris honorificationis incrementum cedant hæc omnia.

